



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Quæstio I. Quænam injuria censeri debeat gravis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42561**

non commodè potest restituere. *Vide Auctores cit. Laym. Lef. n. 27. Lugo di. 8. n. 56.*

## ADDENDA.

*Q. 1. Quænam injuria censeri debeat gravis. R. 2.*  
 Cùm restitutio reparet injuriam, ut decidi possit, quandonam sit obligatio gravis restituendi, præmittendum est in genere, quandonam injuria censeri debeat gravis, & dicendum est illam esse censendam gravem, quæ spectatâ communis hominum complexione, secundum se apta est causare magnam contristationem, aut amicitiam dissolvere. Est communis cum *Esp. de Just. q. 27.*, videturque ita sentire *S. Th. 2. 2. q. 72. a. 2. ad 1.*, ubi clarè innuit illam contumeliam censeri gravem, per quam aliquis non reformidat contristare alterum: Similiter de malo *q. 7. a. 1.* peccatum mortale mensurat per ordinem ad dissolutionem amicitiæ cum Deo & proximo. Ratio est, quia quod ratione oppositionis, quam habet cum alia virtute, est etiam simul graviter oppositum charitati, hoc censeri debet etiam esse graviter oppositum tali virtuti, quia cùm charitas sit veluti mensura reliquarum, quod ratione oppositionis, quam habet cum aliis virtutibus, est grave contra charitatem, merito etiam censetur esse grave contra talem aliam virtutem, sed omne illud, quod ratione oppositionis, quam habet contra justitiam, communiter causat magnam contristationem vel dissolvit amicitiam, hoc etiam est graviter oppositum charitati, ergo. *Conf.* quia quod graviter opponitur fini justitiae, est

A 2

grave

grave contra justitiam , finis autem justitiæ est pax , tranquillitas , satisfactio animi , mutuus consensus & amor per conservationem æqualitatis jurium , ergo quod his opponitur est grave contra justitiam. Ratio à posteriori est , quia homo de cætero prudens , si injurietur , non solet graviter contristari aut renuntiare amicitiam , nisi injuria sit talis , quæ spectato communi sensu sit gravis , ergo si per injuriam aliquam detur causa gravis contristationis vel renuntiadæ amicitiæ , communis sensus est injuriam esse gravem. Hæc regula postea in particulari applicabitur ad singulas materias , in quibus ob injuriam gravem est gravis obligatio restituendi. Quænam sit materia gravis furti , dictum est p. i. à n. 979.

<sup>3</sup> *Objicies.* Nunquam est licitum odium vel ini-  
micitia cum proximo , ergo nunquam censem-  
tur dari causa dissolvendæ amicitiæ , & conse-  
quenter nulla dabitur gravis injuria. R. N.  
conf. , nam non dicimus hoc esse injuriam gra-  
vem , quo posito sit licitum alterum odisse vel  
cum illo habere inimicitiam , sed quo posito ,  
spectatâ communi complexione hominum , or-  
dinariè fit , ut homines graviter contristentur ,  
& dissolvant amicitiam , sive hoc licite faciant  
sive illicitè , hoc enim ad hanc rem non facit ,  
quia dicimus hoc tantum esse signum , quòd  
sit injuria gravis ; neque etiam in hoc consistit  
ratio injuriæ , sed in eo , quòd contra jus  
agatur.

<sup>4</sup> *Q. 2. An scienti & volenti fieri possit injuria.*  
R. Scienti & volenti voluntate efficaciter &  
effectivè cessivâ juris , fieri non potest injuria ,  
potest